PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh. Seite 152v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

erat puer. Dicit fulgencius: stellam
tunc creatam, notabilem, et discretam
a ceteris, et in splendore: quam lux diui-
na non impediuit. et in loco: quia neque in
firmamento cum stellis minoribus
erat, nec in ethere: cum planetis,
sed in aere uicinas terris tenebat uias,
et in motu: quia prius immobilis super
iudeam: magis dedit signum ueni-
endi in iudeam. qui ex deliberatio-
ne sua: ierusalem tanquam caput iudee:
adierunt, quibus egressis: iterum primo
motu notabili precessit eos. que per-
acto officio: mox esse desiit. reuertens
in preiacentem materiam: unde sumpta
fuerat, tamen quidam tradunt: bedam uo-
luisse: quod in puteum bethleemitarum
cecidit. et Ieronimus in diebus paule et eustochii:
quasdam uirgines deo dicatas eam mi-
raculose uidisse. quod quia fabulosum
existimauerunt fratres cum quibus mo-
nasticam ducebat uitam: eum a com-
munione sua quinquies separauerunt.

Ingressi uero De oblatione et nominibus magorum.
magi domum: quam diuisorium lucas no-
minat: obtulerunt puero singuli:
aurum. thus. et mirram, secundum consue-
tam sabeis oblationem. tamen: significan-
tes: eum regem. deum: sed mortalem, no-
mina trium magorum hec sunt, hebrai-
ce appellati. amerus, damascus, grece: gal-
galat. magalat. saracin. qui cum de-
liberarent de reditu: responsum est
eis in somnis: ne redirent ad hero-
dem: et uenientes tharsum cilicie: con-
ducto nauigio redierunt in regionem
suam. De ypapanti domini.

Et post quam impleti sunt dies puri-
gacionis marie: tulerunt pue-
rum in ierusalem. ut sisterent eum domino .i.
offerendo presentarent. et dederunt hosti-
as pro eo: par turturum et duos pullos
columbarum. insuper redemerunt
eum: v. siclis argenti, et erat in ierusalem:
simeon senex qui acceperat a spiritu sancto:
non uisurum se mortem: nisi prius ui-
deret xpistum domini. et tunc: eodem spiritu ue-
nit in templum. et accipiens puerum
in ulnas: sciens eum xpistum: ait. Nunc
dimittis. etc. Et prophans de passione
xpisti: ait ad mariam. et tuam animam
pertransibit gladius .i. passio ipsius.
non enim sine materno dolore potuit
uidere crucifigi filium. et si resur-
recturum speraret: uel ita. animam ipsius:
que et tua est: quam .s. quia tuam diligis:
pertransibit gladius; eadem hora super-
ueniens et anna prophetissa. et loquebatur
de illo omnibus qui expectabant re-
demptionem israel. De fuga domini in egyptum.

Tunc: herodes uidit quod illusus
esset a magis. Videns enim herodes
magos nichil sibi renunciasse: pu-
tauit eos uisione stelle deceptos.
et erubuisse redire ad eum. ideo: ab in-
quisitione pueri cessauit, sed cum
audisset que dicta fuerant a pastoribus:
et maxime: prophetias simeonis et anne:
sensit se illusum. et de morte puerorum
bethleemitarum tractabat. ut ille quem
ignorabat: cum eis occideretur. prop-
ter ammonitionem angeli fugit ioseph
cum puero et matre eius in egiptum:
usque ad obitum herodis, cumque in-
grederetur dominus egiptum: corruerunt ydola
egipti. secundum ysaiam. qui ait; ascen-
det dominus nubem leuem. et ingredietur
egiptum. et mouebuntur simulacra
egipti. Traduntque: quod sicut in exitu
filiorum israel de egipto: non fuit domus
egipti in qua deo procurante non
iaceret mortuum primogenitum: ita non
modo fuit templum in egipto: in quo:
non corruisset ydolum. De nece puerorum

Herodes autem dum et quare dilata per annum.
de nece puerorum disponeret: per epistolam
citatus est a cesare augusto ut roma-
iret: accusacioni filiorum responsurus,
tamen: iosephus dicit: quod alexandrum
filium suum secum romam traxerit: et ue-
niens sibi patri reum apud cesarem
postulauit, qui cum iter faceret per